



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

519. An donare possit juspat. in beneficio, vel donationem jurisp.
confirmare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

clare satis exprimunt, dum inquit, Vicarium generalem Episcopi consensum, & auctoritatem edificandæ ecclesiæ, vel beneficio fundando (nota hæc ultima verba) præstare posse, & mox subiungunt, posse etiam hanc facultatem, nempe edificandi ecclesiam, vel fundandi beneficium concedere Capitulum sede vacante.

2. Nihilominus contrarium sequi videtur ex doctrina Lotterii, quam tradit l. 1. q. 5. à n. 12. ubi postquam præmisisset, beneficia minora, quantumcumque de cætero curata erigi, & institui posse auctoritate episcopali, seu ab Episcopo, item ab habente jurisdictionem quasi episcopalem (qualis hic intelligitur, quam habent Prælari quidam Episcopo inferiores extra Collegium suum diffusam per totum aliquod territorium certis limitibus finitum, ita ut ea vigeat in parochianos ad exemplum jurisdictionis Episcopi) hujus ultimi rationem addit, quod dedicatio illa temporalium pro beneficio ecclesiastico non pertineat ad Ordinem episcopalem, sed ad quasi Ordinem; cum sufficiat dedicatio vel etiam consecratio verbalis, quæ magis ad dignitatem, quam Ordinem spectat. Per quæ jam Capitulum sede vacante (tametsi non tantum jurisdictionem quasi episcopalem cum territorio eodem; sed ipsam episcopalem habet cum eodem territorio proprio, quod est diæcesis) ab erectione beneficiorum excludi videtur; cum, quæ ad Ordinem, vel etiam quasi Ordinem & dignitatem episcopalem spectant, non transeant in Capitulum sede vacante. Quinimò subiungit Lotter. à num. 52. hoc jus dedicandi, & consequenter erigendi potestatem dictis Prælati inferioribus non competere, ubi solenniter benedicti, pontificalibusque ornamentis, puta, mitrâ, baculo insigniti non fuerint; eò quod per horum insignium pontificalium concessionem hæc facultas dedicandi temporalia pro beneficio implicitam habens benedictione transfundi videatur, & iis desinentibus, non tantum Ordo, sed etiam Dignitas, & majestas illa pontificia, cui hæc facultas attribuitur, desideratur. Unde jam etiam iterum potestas illa erigendi beneficia adimitur Capitulo, utpote in quo talis consecratio, & benedictio locum non habet. Sed neque ejus Vicario concedenda videatur, etsi is esset Episcopus consecratus; cum is plus potestatis in hoc non habeat quam Capitulum habet, aut in eum transfundere potuit, quam proinde non auget character illius Episcopalis.

3. Hanc tamen Lotterii doctrinam non parum infirmare videtur, quod Episcopus confirmatus, non tamen consecratus possit erigere beneficia, adeoque ista erectio non respiciat necessariò in erigente consecrationem, aut benedictionem aliquam; etsi forte respiciat de cætero dignitatem episcopalem, qualem adhuc censetur habere Episcopus non consecratus.

**

Quæstio 519. Vtrum Capitulum sede vacante donare possit alicui juspatronatus in beneficio; vel etiam donationem jurispatronatus factam ab alio confirmare, aut ei assensum præbere possit?

1. Resp. ad primum primò: Capitulum juspatronatus, quod ei competeat jure proprio in beneficio donare potest tam sede plenâ quam vacante alteri ecclesiæ, locòve pto seu religioso, aut Clerico nomine ecclesiæ, vel dignitatis quam obtinet, prout idem potest quilibet patronus laicus, etiam non requisito consensu Ordinarii. Castropal. tract. 13. d. 2. p. 4. num. 17. cum communi, juxta c. illud. de jurep. & v. filaius. tit. eod. in 6. vide meipsum in Foro benef. p. 2. q. 62. n. 1. An vero donare possit illud alteri laico sine consensu Superioris, v. g. Metropolitanæ, aut Papæ, meritò dubitatur; cum ea esset species quadam alienationis juris alicujus ecclesiastici in manus laicas, quæ sine consensu Superioris ecclesiastici fieri nequit; & in specie juspatronatus à patrono donari nequit laico, aut etiam Clerico tanquam personæ privatæ sine consensu Episcopi. Corrad. in prax. benef. l. 4. c. 5. n. 8. Pith. ad tit. de jurep. n. 61. Azor. p. 2. l. 6. c. 20. q. 5. cum communi. Adeoque Capitulum sede vacante sibi quod ad hanc donationem præstare non potest auctoritatem, sicut nec Episcopus, dum viveret, donatio juspatronatus, quod quæ Episcopus habebat, laico, sed eget ad hoc auctoritate Superioris.

2. Resp. ad primum secundò: donare non potest juspatronatus in beneficio, quod aliàs non erat subiectum juripatronatus. Proceditque idipsum non solum in beneficio spectante ad alterius collationem ut patet; quia vel sic præjudicaret juri illius Collatoris liberi: verum etiam spectante ad suam collationem; quia absolute loquendo non potest beneficium liberum subicere huic servituti. Unde licet jus suum conferendi, quod habebat in illo beneficio, concedere & donare possit alteri, non sequitur inde, posse & alteri in eò donare juspatronatus reservando sibi institutionem in illo. Manifesta hæc sunt ex eo, quod ne quidem Episcopus hac ratione concedere possit juspatronatus, & subicere beneficium liberum huic servituti. Lotter. de re benef. l. 2. q. 2. n. 18. Corrad. loc. cit. num. 24. Barbof. Castropal. Garc. Lambert. & c. quos citavi Fori benef. p. 2. q. 46. juxta c. 2. de reb. eccles. non alien. & Trident. c. 9. sess. 2. & S. Congregat. declarat. super eod. loc. quam ibi recitavi.

3. Resp. ad secundum: non posse Capitulum sede vacante præstare consensum & auctoritatem suam donationi jurispatronatus factæ ab altero (intellige alicui laico) tenent Barbof. juris eccles. l. 1. c. 32. n. 111. & tom. 3. de potest. Episc. allegat. 71. n. 24. cum Gratian. discept. for. c. 303. n. 10. & seq. Quod si tamen de facto id faceret, existimant iidem apud Dian. p. 8. tract. 4. resol. 54. ex Seraph. decis. 884. num. 2. præbiturum per hoc titulum coloratum ad præscribendum. Verum dum hi AA. nullam hujus asserti sui rationem adjiciant, non video, cur Capitulum sede vacante id non possit; cum præbere consensum suum ad hoc possit Episcopus, spectetque idipsum ad jurisdictionem ejus ordinariam, neque sit inter ea, quæ in jure excipiuntur & vetantur fieri à Capitulo, etsi de cætero spectent ad jurisdictionem Episcopi.

R 4

Quæstio